

Num. 13. v. 24. rantes eum de illius possessione. Cur quæso hanc terram Israelitico populo promiserat Deus? Cur fructus afferri in prægustationem, nedum in ostensionem iussit? an ut dubium atq; incertum de illius possessione eum redderet? Nequaquam. Imò verò ut magis magisque eum animaret, atq; in sua promissione confirmaret. Eodem certè modo nobiscum egit Deus dans Sp. S. suum, in cordibus nostris clamantem, nedum fidem & sacramenta: ut nos in sua promissione confirmaret, atq; immota cordis fiducia, quæ ad cælum ducit, atq; introducit, animaret: non autè, ut dubios ac timidos, quorum pars est mors secunda, efficeret. Neque enim timidos, neq; incredulos nos ei vult esse Deus; sed de sua misericordia gratis nobis exhibita suisque promissionibus præfumentes: Nihilque ei promittenti detrahentes; Quotquot enim ei in deserto detraxerunt, neq; crediderunt, hi ibidem perierunt: terramq; promissam nequaquam intraverunt, nedum possederunt. Quoniam increduli fuerunt. Est enim Deus fidelissimus in promissis, cui vel maximè credendum est. At illi increduli ei fuerunt, propterea perierunt. Nos verò fide illuminante certò in eum credimus, ac nequaquam dubitamus, quin ultra promissum reddat, nedum promissum solvat. Promiserat enim omnipotentissimus atq; clementissimus DEUS pientissimo Ezechia Regi, teste Esaia Propheta, Regem Assyrium Hierosolymam nec ingressurum nec possessurum: nec sessurum in ea, nec impetraturum: sed liberatum iri, at ultra huic liberationis beneficio necem centum octoginta quinque mille hominum Regij exercitus Assyrij addidit. Promiserat quem elegerat sibi in Sacerdotem ex filijs Israel, illius virgam germinatum iri, sed cum hoc fructum fecit, nedum frondit & floruit. Item Zachariae illius sanctissimi vatis, atq; præcursoris Johannis Patri pro populo oranti ac gratiam petenti sobolem addidit, nedum ejus exaudita est deprecatio. Quid plura? regi Salomoni sapientiam petenti, divitias & gloriam addidit nedum sapientiam donavit. Nimirum dat omnibus affluenter. Potens est enim teste Paulo Apostolo, plus dare, quam nos sciamus illum rogare. Ait enim: *Ei autem, qui potens est omnia facere super abundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem qua operatur in nobis: ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Jesu, in omnes generationes seculi seculorum, Amen.* Quod ex his constat, Deum ultra promissum dare. Promisit autem geminatio cum juramento, nobis in eum crehentibus ac vitam æternam petentibus, nedum quicquid ad hanc pertinet, daturum. Ait enim: *Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ubi glossa: *Amen, Amen, quod est juramentum ut de impetratione certi simus: quia dubitatio impedit orationem. Bis autem dicit Amen, propter duplicem certitudinem. Homines enim solent dupliciter decipere: aut omninò non reddendo promissum aut deminuyendo, sed Dominus quod promittit, solvit. Unde Psalmus, quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Sed etiam ultra promissum reddit.* Atqui certitudo gratiæ ad vitam æternam pertinet. Est enim hæc illius prægustatio quædam modò in spe, quam postea in re, Deo dante, habebimus. Quare eam dat. Si autem dat, habemus; si habemus, certi sumus, non ergo est quod dubitemus. Quia eam, in cap. 7. lib. Sap. ille pollicitus est, in quo semper, est, fuit: & nunquam, non, qui semper promissum duplicat, ac multiplicat, nunquam demit nec minuit. Prout pulchrè scribit Johannes Lorinus, dicens: *Est porrò liberalis & munificus Deus, plus largiusq; tribuens, quam polliceatur.* Juramentum autem hoc alibi clarius ac manifestius sic pronunciaverat Christus Dominus, dicens: *Amen, Amen dico vobis,*

Num. 4.
 per tot.
 cap.

Es. 37. v.
 33. 36.

Num. 17.
 v. 8.

Luc. 1. v.
 13.

3. lib. Reg.
 c. 3. v. 13.

Eph. c. 3.
 v. 20.

Jacob. 1.
 Job. 16. v.

23.

in cap. 7.
 lib. Sap.

Job. 5. v.
 24.

dico vobis,